

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA,  
DE

# CVRA PARTVS MODO ENIXI ET LACTENTIS

QVAM

AVSPICE DEO MAXIMO  
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ CONSENSV

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO  
ORDINIS MEDICI SENIORE & h. t.  
DECANO

## PRO DOCTORIS GRADV

Ritè impetrando

*Ad. d. XVII. Maii. Anno MDCCXXXI.*

*H. L. Q. C.*

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SISTET

## DAVID SAMUEL KOULAS.

LAVBA-LVSATVS.  
ALVMNVS PIPERIANVS

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICO  
DE  
CARAPARTAS  
MODI ENIXI ET  
LACTENTII  
GAV.  
AVSTRIE DEO MAXIMO  
GRATIAS LACVLLATAS MEDICO CONSENSA  
PRÆSIDIO  
DN. FREDERICO HOFMANNO  
ORDINIS MEDICI ENORES &c. II  
DIE ANNO  
PRO DOCTORIS CREDITA  
DVVID SAMUELE KOLAS.



## PROOEMIVM.



Eduli omnes naturæ indagatores fatentur, quod homo inter omnia & innumera summi Architecti opera, maxime stupendum & admirandum sit opus, quippe in quo, tanquam in Microcosmo omnia reliqua concentrata concinne comprehenduntur. Nihilominus tamen, si conditionem, quæ soli homini præ brutis statim post partum est propria, perpendimus, illius præ horum longe esse deteriorem confiteri cogimur. Nisi enim homo recens enixus non primis tantum post partum diebus, sed & multis sequentibus mensibus ac annis aliorum fulciretur ministerio; nisi a fordibus purgaretur; funiculus umbilicalis ei justo tempore & modo ligaretur; nisi mammis lactantis admoveretur, & quæ sunt reliqua, eidem necessario pereundum esset. Bruta e contrario, quamprimum in lucem sunt edita, pedibus insistunt, nutrimentum suum proprio instinctu quarunt & ex uberibus lacte distentis sugunt. Optandum utique esset,

A a

ut

ut hæ hominum auxiliatrices manus in recens nati salutem omni tempore porrigerentur: ast dolendum est misera infantis fors, quod illorum officia, ex perverso applicandi modo, teneri partui haud raro summum in detrimentum cedant. Hanc igitur miseram tenelli sortem, in quam partim per male & intempestive exhibita remedia, partim ex horum incuria, quibus ejusdem concredita est salus, inconsulto præcipitantur, in præsenti Tentamine inaugurali: de Cura partus modo enixi & laetentis, paulo prolixius explicare & cautelas quasdam, quibus parentes sibi ab hujusmodi erroribus cavere & partus saluti consulere discant, simul subnecere mecum constitui. A Te igitur, L. B. etiam atque eriam rogo: velis Conamini huic meo æqui bonique consulere. Reliquum, Summi Numinis efflagito gratiam, ut huic & omnibus meis laboribus benedicat & in sui Nominis Gloriam, mei, aliorumque emolumentum cedere jubeat.

## §. I.

**C**Uram partus & laetentis primum locum inter parentum officia merito sibi vindicare, nemo sanx mentis in dubium vocaverit. Leges enim non solum Divinas, christianæ fidei addictis parentibus, horum curam in sacris paginis sedulo inculcare; sed etiam morales & omnium præcordiis inscriptas, ad eandem omnes gentes, cujuscunque sint cultus religiosi, obstringere ac convincere neminem latere potest. Hujus vero curæ cardo in eo vertitur, ut parentes partum in statu naturali, id est, sanitatis conservare & omnes causas status præternaturalis jam præsentis vel imminentis amoliri & præcavere omni studio allaborent.

## §. II.

De Cura corporis humani mihi in præsenti tentamine ser-

sermonem esse, facile cuivis in aprico erit colligere; cum jam in Dissertationis hujus inscriptione indigitaverimus, e-  
andem esse Medicam, & consequenter humanum corpus  
tantum pro subjecto habere. Curam enim animæ, in quam  
direcťe Medicina nullam habet potestatem, Theologiae &  
Moralium Doctribus jure meritoque relinquimus.

## §. III.

Ut autem ordini naturæ in partus exclusione obser-  
vato inhæramus, primum quæ circa umbilicalium vasorum  
ligaturam, statim post editum partum, notau digna occur-  
runt, enumerabimus. Jam prolixè explicandum non su-  
mimus, quo loco & qua ratione hæc vasorum umbilica-  
lium ligatura instituenda sit, cum hæcce prolixè satis a  
Mauriceau (a), Varandæo, (b) Langio, (c) von Horn,  
(d) Deventer, (e) Veltner (f) aliisque doceantur & omni-  
bus obstetricantibus tritissima esse debeant. Hanc vasorum  
umbilicalium ligaturam, sine partus vita periculo, omitti  
vel in longum differri non posse, experientia multis fulci-  
ta observationibus extra controverſiam omnem ponit, &  
ea propter hujus neglectum violentæ mortis causis Juris-  
prudentia Medicæ Doctores jure meritoque annumerarunt.  
(g) Nec hujus assertionis veritati quicquam detrahere  
potest observatio lectu dignissima Ephem. A. N. C. Ann.  
1730. Observ. 50. p. m. 115. ubi funiculus umbilicalis abrup-  
tus, absque partus pernicie, hora dimidia jam præterlapsa  
tandem ligatus fuit; nec Stalpartii van der Wiel Observa-  
tio

(a) *Tr. les maladies des femmes.* (c) *lib. de morbis mu-  
lierum.* (c) *Diff. de recens natorum regimine.* (d) *Weh-  
Mütter.* (e) *Neues Hebammen-Licht.* (f) *Neu-eröffnete  
Hebammen-Schule.* (g) *D. D. Teichmeyer's Institut medic, leg.  
& forens. D. D. Alberti System. Jurisprudent. medic.*

tio (h), qui de masculo infante sine umbilico, imo ne quidem funiculi umbilicalis indicio nati refert: cum casus hi fuerint rarissimi & extraordinarii. Cautelas quidem circa sanguinis in vasibus umbilicalibus contenti repressionem vel emissionem, ut necessario observandas, tradunt; cum vero haec diametro sibi sint contrariae, horum dissensus non potuit non multis facecere negotium, & erroris vel saltet haesitationis esse caussa. Celleberimus enim Langius l. c. consilium dat, ut sanguis omnis intra vasorum umbilicalia circulans a placenta versus foetum cogatur, ne pereat inutiliter quidquam de egregio illo vita thesauro; nisi, ut l. c. s. 3. c. 2. addit, per moram aliquam inter partus & fecundinarum exclusionem intercedentem, ab aeris externi accessu crux in iisdem jam sit coagulatus. Alii in contraria partem, hunc sanguinem a foetu tanquam inutilem imo noxiun removendum esse censem, inter quos Friedel, (i) qui asseverare non dubitat, quod si sanguis hic a partu versus placentam reprimatur, idem a variolis per omnes vitae dies præservetur; cui calculum suum addit Höferus. (k) In hanc opinionem forte seducti sunt a Veterum Medicorum & inter eos primorum Arabum sententia, existimantes: Variolarum causam a residuo sanguine menstruo, quo infans in utero matris nutritus fuerit, derivandam esse; de qua sententia plura vide apud Meauriceau (l) Ephem. A. N. C. (m) Stalpart van der Wiel (n). Fr. de B. Sylvius (o): Verum enim vero, cum apud plurimos autores, qui de arte obstetricia scriptum quid reliquerunt, de hac observatione altum sit silentium, & Meauriceau etiam ut & Cel.

(h) Observ. rarior. part. poster. observ. 32. p. m. 398. (i) Sim. Medicinischen Bedenken pag. 313. (k) Hercul. med. pag. 425. (l) l.c. lib. 3. cap. 40. (m) Ann. 1727. observ. 75. §. 24. pag. 139. (n) l.c. cap. 23. (o) vid. prax. med. append. Tract. l.c. 9. §. 3. & 32. seqq.

Cel. D. & P. Vater (p) hanc quarundam obstetricum cōfuetudinem, sanguinem scilicet in foētūm cogendi, pessimam esse declarant, & præterea quoque rationes nullas sufficiētes, imo nequidem probabiles suorum præsuppositōrum ab utraque parte reddant; tutius concludo: vasa umbilicalia liganda & resecanda esse, absque sanguinis nondum coagulati in iisdem pressione, vel versus foētūm vel versus placentā. Si cuidam forte videretur, majorem sanguinis copiam necessario requiri ad omnia vasa pulmonum sanguifera, post funiculi umbilicalis resectionem & concessum respirationis usum, plenius adimplenda; huic reponimus, quod etiam sanguis in tenello partus corpore jam præexistens, ad eadem invicem sejungenda sufficiat. Non enim potest non fieri, quin vasa, quæ saltem superficie corporis proxime subiacent, & anteā, partu in utero adhuc delitescēte, a temperato in eodem calore magis patula fuerint, post ejusdem exclusionem, ab aere irruente liberiusque hujus superficiem premente, arctius comprimantur & consequenter tantam cruxis vim capere non valeant, quantam foētus ex utero nondum egressus. Deinde aere etiam, per pulmonum substantiam in tunicas vasorum sanguiferorum irruente, via sua elastica, massa sanguifera rarefit & expanditur, adeo ut hoc pacto verendum, ne a sanguine e vasis umbilicalibus in partum coacto, circulatio impediatur, ejusdem flasis & corrugatio, sive tenelli mors acceleretur. Divinationem vel pronosticū, e funiculi umbilicalis flexuris, vel vulgo dictis nodis, quarundam obstetricum fallacē esse & experientiæ raro respondere, inter vulgus hodie notum est. (q)

## §. IV.

(p) in. Coll. MSto de cura preservatoria infantum. (q)  
Job. Fr. Löw ab Erlsfeld lib. X. de morb. infant. §. 6. p. 694.

## f. IV.

Vasis umbilicalibus ligatis & resecatis res ipsa postulat, ut tener partus sordibus purgetur, quod pro diverso usu recepto vario sit modo, ut in sequentibus patebit. Quod autem hoc negotium attinet, utilissima maximeque commoda hæc mihi videtur purgatio, quæ lotione in balneo tepido sive ex sola aqua, sive vino & aqua simul mixtis parato instituitur; quia calor balnei teneratus vel tepidus non modo inservit commode purgationi partus recenter editi; sed quoque ad æqualem sanguinis distributionem ac circulationem apprime conducti, quæ alias levi auræ frigidæ afflatu facilis negotio impediri posset, si partus in hypo-causto calefacto vel coram luculento canino lavandus æri libero per totum lavationis tempus exponeretur. Sic quoque in totius corporis tam naturalem quam præternaturalem constitutionem atque conformatiōnem, in eodem hoc balneo tutissime potest inquiri; imo hoc pacto obstetrici etiam commodus conceditur locus & tempus, ut, si quid a partus laboribus male conformatum in capite aut aliis corporis partibus compareat, cum adhuc quasi cerea sunt ossa, ab eadem in melius effingantur & in naturalem formam restituantur. Hæc autem artus omnes blande contrectando explicit, crura & brachia saepius contrahat & expandat, ut, si quid in articulis muci vel lensoris residet, dissipetur, ut optime monet Varandæus. (r) Inferior etiam partus venter, eodem lotionis tempore, vola manus obstetricis frequenter mulceri ac leniter fricari, ut & partes excretionibus dicatae ab eadem titillari possunt, ad eo feliciorem meconii, urinæ & reliquorum excrementorum exclusionem. Has itaque ob rationes hanc lotionem, quæ sit in balneo, ut maxime commodam, diligenter.

(r) lib. 3, c. 1, p. m. 423.

ligendam esse censeo: quam etiam contra auctorem tractatus, Felix puerpera, dicti, saepius citatus Langius (s) defendit. Aliae obstetrices, quibus haec lotio in balneo minus arridet, coram igne partum recentem vel aqua sola vel eadem vino Rhenano aut rubro mixta, a fôrdibus purgant. Antiquorum Germanorum (t) & modernum adhuc, ut traditur, Lapponum morem, statim post partum natos in aquam frigidam immersandi, ut validiores & quasi solidiores, ut ferrum candens in aqua frigida, redderentur; vel Galeni consilium, (u) ut sale corpora recenter natorum adspergantur, ad exsiccandum macum cutis & robur conciliandum membris; utrumque ut summe noxiuum & hinc Christianis maxime indignum nemini consulimus, ut imitetur.

## §. V.

Post lavationem tener partus, ab aëris injuriis, molibus linteis & commoda fasciarum involutione præmuniendus erit. In quo negotio, ex muliercularum negligencia vel ignorantia, non levis saepè committitur error, magnorum successu temporis malorum causa. Præterquam enim, quod teste Langio l.c. §. 10. infantes saepè gibbi siant & tabefacti moriantur ex nimia pectoris per fasciam constrictione; (quanquam interdum viscidam quandam & putulentam materiam gibbi caufam esse posse, egregius ille observator Bonnetus (x) nos edocuit) vel saepius vomant, vel etiam herniosi evadant, ut Meauriceau (y) testatur: Sic etiam multa circulationis impedite incommoda vagi-

B. tus.

(s) l.c. cap. I. §. 7. (t) Cæsar de bello Gallico lib. 6. Lavavuntur influminibus. Conf. Courtingius de republica Germanor. §. 12. Claudio II. in Russum. Et quos nascentes explorat gurgite Rhe-nus Couring. l.c. (u) lib. l.c. 10. de sanitate tuenda. (x) Sepul-chreto anatom. p. 73. (y) l.c. cap. 37. p. 492.

tusque nimii, ab imprudenti arcto que nimis corpus tenelli involvendi modo, derivanda esse illi. Stahlius (z) nobis auctor est. Proverbio quidem dicitur: Spey-Kinder, Gedey-Kinder; hoc autem cum grano salis accipendum esse, ex jam dictis adducendum rationibus patebit. Primis enim diebus ad eliminandum mucum in ventriculo reconditum, immo sub toto lactationis tempore, quoties tenelli lactentis ventriculus nimio lacte, vel eodem coagulato, vel cibo nimio sive crudo oneratur, vomitum maxime conducere facilis largior, immo ut salutare naturae opus declaro: quando vero miser partus alimentum lutum per vomitum reddere cogitur, a fasciarum acta nimis constrictione, praembris circa ventriculi seu epigastricam regionem, proverbium hocce minime quadrate posse constat; cum potius optandum esset, ut acceptum suum nutrimentum retinere atque in succum & sanguinem convertere valeret.

### §. VI. hominoe & animalia

Maxima autem incommoda misero partui haud raro eveniunt a retentione meconii. Cum enim hoc D.D. Storchi (a) teste, instar sit picis, quod nisi primis diebus extensis exterminetur, non solum horum tunicis sese tenacissime insinuat; sed etiam eadem non raro conglutinat, adeo ut inde gravissima tormenta, continuæ cardialgicæ afflictiones, herniæ, irrelaxabilis fere alvi obstructio, immo spasmodus maxillarum, (b) reliquarum corporis partium motus spastici ac convulsivi, sanguinis per anum profluvia, variaque alia, quibus stipantur, gravissima symptomata propullent. Cura igitur parentum & quibus partus recentis concredita est salus, in id directa sit necessarium est,

(z) Tr. de morbis infant. p. m. 16. & 21. (a) Obs. clin. sub nomine Hulderici Pelargi editar. part. 3. p. 61. (b) idem l. c. p. 290. Theodorus Zwingerus Theatr. Prax. med. part. post p. 17.

est, ut opportuna meconii evacuatione huic malorum catarvae provide occurratur. Hunc in finem nostris in Svecia mulierculis in usu est Saccharum Penidium, quod his Benett & Säker audit, in oleo amygdalarum dulcium solutum, quod primis post partum diebus infanti successive propinatur. Gallis ac Batavis vinum rubrum cum Saccharo edulcoratum, & Judæis mel butyro subiectum hunc in finem haud infelici successu in usu esse Meauriceau (c) & Langius (d) tradunt. Plura hujusmodi lenia laxantia pro scopo eodem obtinendo enumerat Cel. D. P. Juncker; (e) & B. Wedelius, Amoenit. Medic. pag. 271. Relinam Gialappæ ad gr. ij. l. iii. præscribit. (f) Omnia tamen felicissime & tutissime pestis hæc sanitatis virtuæque, Meconium scilicet, profligatur a Colostro, seu tenui puerperæ lacte. Me equidem non fugit, quod Meauriceau, loco proxime citato, hac in sententia mihi refragantem habeam, quippe cui præstare videtur, ut recens partus, ante quartum vel etiam octavum diem, puerperæ mammis non admoveatur: experientia tamen amplissimæ atque vetustissimæ, providæ quoque naturæ instituti sapientissimi, qua nihil frustra effecit, & tandem Ill. Stahlji, (f) D. P. Junckeri, (g) Joh. Dolæi, (h) Spigelii (i) aliorumque contra eundem me tueor ac defendo auctoritate. „Ita enim Spigelius l. c.: ipsum colostrum, ait, alimentum est medicamentosum, quod natura eum in finem generavit, ut modice nutriendo & leviter, pro infantis scil. imbecillitate, stimulando in intestinum.

B 2

,na

(c) l. c. 24. p. 459.

(d) l. c. cap. I. §. n. (e) Conspectu Med. Theor. Pract. Edit. II. p. m. 1006. seq. (f) l. c. p. 26. (g) l. c. p. 1019. n. 30. (h) Encycloped. medic. dogmat. lib. 6. cap. i. §. 4. pag. 371. &amp; seq. (i) Tr. de formatione fetus c. 3. p. 16. Conf. Zwingeri Theat. prax. med. part. post. pag. 17.

„na efficiat, ut meconium adhuc intra corpus non sine „periculo haerens proscribatur & ejiciatur.“ Ut vero nulla regula sine exceptione est; ita etiam in eo du Meauriceau admonitio locum invenire posse mihi videtur, si papillulae mammarum matris lactantis adeo sint exiguae, ut tener lactens easdem non commode ore suo excipere, & non nisi vehementi attractione quidquam ex iis alimenti elicere possit; vel crassae nimis, ut easdem hanc vel alias ob causas capere non valeat. Si vero mater puerpera partum latere recusat, & nutritis subordinatae lac sit spissioris indolis, praefat omnino, secundum B. Ettmulleri (k) monitum, primis vigintiquatuor horis puerulum lactentem eodem prohibere, & aliis interea congruis laxantibus alvum meconio suo exonerare. Denique memori mente tenendum, ut alvus infantis semper laxa servetur, ad præventione gravia tormina aliqua incommoda, quæ ex alvi obstipatione nascuntur. (l) Caveant tamen simul, neceesse est, ne continuo applicandis suppositoriis & clysteribus naturalia hujusmodi stimulantibus adfescant.

### §. VII.

Cum etiam quædam de aëre partum ambiente attinenda sint, ratio dicitur, medio heic tutissimum iri, seu calorem temperatum infantilis corporis constitutioni optimè convenire. Ut enim nimium calorem aëris in hypocausto igne rarefacti, partus lactens non potest non ægre perferre & multa ab eodem sentire incommoda, tam ob mollem solidorum texturam, quam ob humorum ad movendum agilitatem: ita quoque aëris in hypocausto condensati pressio vel linteorum, quibus hic involvitur, frigus poros obstruit, & consequenter diaphoresin seu insensibilem transpira-

(k) *Valeudin, cap. 2.* (l) *conf. Franc. Sylvii prax. med. Appendix. Tract. 1. cap. 6. §. 72. 73. 74.*

rationem impedit vel omnino sufflaminat, qua tamen præ-  
primis humores, ad corruptionem natura sua maxime pro-  
clives, a sui corruptione præservantur. Omnium autem peri-  
culosissima est subita commutatio aëris e calido in frigidum  
& humidum, quando nimis nutrices puerulum sudore  
sub tegumentis madidum improvide e cunis elevant, & vel  
aëri frigido in hypocausto vel etiam libero apertis fene-  
stris exponunt, vel in humido denique & nebuloso cir-  
cumferunt. Qanta enim mala impedita transpiratio  
provocare valeat, ratio & quotidiana testatur experien-  
tia. (m) Pluriuni enim affectus cutanei, ut crusta lactea, acho-  
res, intertrigines, ut & catarrhales, pathemata anginoi-  
dea, lethargica, febres ephemerae, inflammationes, ulce-  
rosa incommoda ac damna, imo & ipsa Epilepsia non ra-  
ro suppressam tantum diaphoresin, præprimis capititis, uni-  
cam sui agnoscunt causam. Caput igitur ut in primis a re-  
frigerio præmuniatur necessum est, cum ob dentitionem  
infantes copiosissimo lymphæ salivalis affluxui & congesti-  
onibus humorum versus caput, commotionibus & excre-  
tionibus catarrhalibus sint subjecti. (n) Prohibeantur itaque,  
quantum fieri potest ab omni aëris inclemencia & pro an-  
ni tempestatumque vicisitudinibus commodis muniantur  
teguminibus, sitque regimen horum ætati aptum ac con-  
veniens.

### §. VIII.

Lucis & luminis rationem etiam habendam esse ratio-  
nitat, ne partus recentis fragili oculorum structuræ ni-  
mius ejus splendor & fulgor officiat. (o) Et cum facile

B 3 stra-

(m) Conf. Dissert. Stabl de transpiratione impedita. (n) Conf.  
Coll. Præf. Stabl. a D. D. Storchi edito Seçt. 2. cap. 5. §. 7. p. m. 113.  
(o) qualiter ad lucem obverti debeat infans, ne fiat lycus doc. Job.  
Rudolph Camerarius Syllog. memor. med. Cent. 2. pt. 40. (p)

strabones vel lusci evadant infantes , si non directe , sed distortis oculis lucem vel alia objecta in sensu horum incurrentia intueri iisdem contingent , aut , si occasio suppeditur , spinis & limis adspicere oculis post caput stan tes ; quam oculorum musculus nondum satis confirmatus , lo bi e situ suo ordinario & naturali facile deturbari vicio sumque recipere possint . Pari quoque ratione in strabis sum incident infantes , si objecta eis ad intuendum proposita , oculis eorum nimis prope admoveantur vel admoveveri permittantur . Ult itaque & hujusmodi erroribus , qui in partus regimine ab imperitis frequentissime commituntur , diligenti admonitione ad nutrices vel gerarias directa , tempestive occurratur , parentum est officium .

### s. IX.

In vulgus etiam notissimum est , homines jam adul tos , non solum sexus sequioris & præprimis hystericae passioni facile succumbentes ; sed & non raro mares odores quosdam non sine incommoda immo anxia sensatione per ferre posse , quos alii absque ullo incommodo , immo inter dum maxima cum voluptate sentiunt . Et cum parentum individualis seu singularis constitutio , jure quasi quodam hæreditario , ad liberos fere semper propagetur : caven dum , ne , quæ parentibus olfactu sunt ingrata vel noxia , teneri partui & lactanti exhibeantur vel in eodem conclavi , quo degit vel jacet infans asserventur . Huic nostro asserto calculum suum superaddunt multæ observationes practicæ , e quibus in præsenti unum tantum a Pelargo observatum (p) addere animus est ; ubi infans a fragrantissimo Liliorum alborum odore in conclavi circumspersorum , in lethargum fuit præcipitatus . Pari ratione vitanda & fugienda sunt , quæ foetore suo etiam robustis natura & ad ultis

(p) *Obs. Clin. pt. 1. p. 5 pt. 3. p. 288.*

ultis non raro fuerunt periculosa, qualia sunt: foetor candæ non bene extinctæ, exhalationes sulphureo-acres, immo venenosæ carbonum, quæ non solum cephalalgiae & nauseæ spæcē extitere caussæ; sed etiam totum systema nervosum sopire immo mortem inducere valent. Duo Exempla infantum a carbonum vapore in conclavi calce viva illinito suffocatorum adducit Illustr. D. PRÆSES e Marcelli Donati lib. de Medic. hist. mirab. (q) Qua propter regula ejusdem diæterica ad finem citati tractatus traxita, etiam respectu regiminis partus tenelli probe notanda: Man schlafse in seinem Zimmer, so erst neulich gebauet und noch nicht ausgetrocknet ist, auch nicht, wenn es erst vor wenigen Tagen überfünft und angewiesset, oder wenn der Ofen entweder ganz neu gesetzt und noch nicht recht trucken oder lange Zeit her nicht geheizet worden ist. Man hat so gar Exempel, daß es denen übel bekommen, die in einem Gemach geschlafen, da der Fußboden den Tag vorher gewaschen worden. Denique animis parentum probe inculcandum erit consilium Varandæi (r): Infantes noir correctandos esse a vetriculis aut sordidioribus mulierculis, aut aliis, quicunque graviorem & molestem odorem ore exhalant, vel corpore emitunt, quoniam corpuscula illa mollissima & quasi spongiosa facile suscipiunt exspirationes omnes circumjectarum rerum, quod & D. D. Storchius (s) comprobat exemplo partus semestris, cui ab ancillæ lue venerea infectæ osculo hujus contagium fuit communicatum.

## §. X.

Recens natum puerulum plus somno indulgere debe-  
re,

(q) in seinem gründlichen Bedenken und physicalischen Anmerkungen von dem tödlichen Dampf der Holz-Kohlen. (r) I. c. p. 45. (s) not. ad Coll. Pract. Stahli sub Tit. de Lue Vener. p. m. 1177.

re, quam vigiliis, facile omnium consensum nos impetratū-  
ros esse confidimus: Hunc autem muliercularum quarun-  
dam morem, plus suis propriis, quam partus commodis  
invigilantium jure meritoque improbamus, quæ miserum  
tenellum sāpe plus justo ad dormiendum disponere vel po-  
tius cogere multis artibus allaborant, & hac ratione eundem  
in languorein, stuporem vel lethargum præcipitem agunt.  
Inter pessimas autem muliercularum artes haud injuria re-  
ferimus, nimiam cunarum agitationem, de qua §. sequen-  
ti agemus; & medicamina quædam eum in finem iis usita-  
tissima, qualia sunt: Theriaca coelestis, Diaſcordium Frac-  
torii, Requies Nicolai, & tandem Opium crudum. Quam in-  
felici vero successu heroica talia persæpe fuerint exhibita,  
prolixum nimis, ut & supervacaneum esset referre, cum tri-  
stis ubique pro me loquitur experientia. Si vero quis hujus  
rei testimonia desiderat, adeat Schenckium, (t) Meauri-  
ceau (u) Stahlium, (x) Septalium, (y) qui, in pueris, inquit,  
narcoticorum usus omnis est suspectus. Si enim intus sumantur, quasi  
strangulantur; extrinsecus autem memorie multum detrimenti of-  
ferunt, quam suam sententiam etiam l. c. (z) e Musæi canone 6.  
cap. 3. confirmat; & obſerv. Vratislavienſes. (a) Aliae in al-  
terum extreum prolapsæ, laetentem ſufficienti & maxime  
necessario ſomno prohibere ſuſtinent, atque nihiſ vigilis  
eundem debilitant ac enervant; ut taceam multa alia dama-  
na, quæ a nimio infantis vagitu & ploratu ſequi ſolent, qualia  
ſunt catarrhi, oculorum fluxiones & herniæ intestinales ob-  
laxio-

(t) Obſerv. medic. lib. 7. p. m. 873. Obſerv. 7. de importuno The-  
riaca uſu. (u) quil. c. pag. 248. ſuum & Plinius iudicione de Theriaca  
& Mitridate exponit. (x) Diff. de impostura opii, conf. ejusd. Tr. de  
morb. infant. p. m. 59. & Præcog. praef. Coll. Stahl. apag. 206. ad. 213.  
(y) animadv. & caut. medic. lib. 3. animadv. 46. (z) l. c. animadv.  
41. & lib. 9. caut. 70. (a) Men. Maj. Clas. 4. p. 604. Ubi ex uſu deco-  
eti Sem. Papav. infans poſt gravem ſomnum, convulſionis ſuit correptus.

laxiorem peritonei & muscularorum abdominis constitutio-  
nem. (b) *§. XI.*

Neque minus periculosa est perhima inceptarum mulier-  
cularum constictudo, tenerem partum vehementi velocique  
cunarum agitatione concutiendi & huc atque illuc conjici-  
endi. Lubens equidem concedo, moderatum & levem cu-  
narum motum pericula quædam infantis saluti minari non  
posse; quanquam etiam crediderim, eundem æque placide  
dormitum, etiamsi hæc inveterata consuetudo omnino  
aboliretur, qua in sententia quoque confirmor prudenti de  
Meauriceau confilio, quod l. c. p. 463, legitur & ita se habet:  
*Mais pour eviter, qu'on soit obligé à la sujetion de bercer ainsi l'enfant chaque fois, qu'on le voudra endormir, il est bon de ne pas lui en faire prendre l'habitude, si l'on le peut dans le commencement, & de lui laisser venir le sommeil naturellement.* Vehemens  
enim ejusmodi conquassatio non potest non affectus verti-  
ginosos, terorem, vomendi conatum & similia parere; ut  
taceam symptomata graviora supra §. 7. enumerata, quaæ a  
frigidoris aëris, inter velocem cunarum motum, appulsi  
atque afflati ex impedita transpiratione provenire possunt  
& solent. Error quoque non minus incusandus est illarum,  
quaæ ut infantem vel delectent vel plorantem sedent, eundem  
motu vehementi ac veloci in altum elevant parique modo  
iterum remittunt; cum verendum, ne puerulus hoc modo  
pavore percutiat vel vertiginosus evadat. Et cum jam occu-  
pati simus in tradendis quibusdam cautelis, quaæ circa motum  
partus observari debent, observationes quasdam huc perti-  
nentes, de modo eundem in brachio portandi, his annextere  
animus est. Notissimum est, quod infantes in brachio tan-  
tum sinistro ut plurimum a gerariis circumferantur. Cum ve-  
ro hoc modo manus dextræ applicatio atque exercitium apud  
tenellum impediatur, sinistræ vero liberior concedatur usus;  
hic rationem potissimum petendam esse existimo, quod hu-

C

jus

(b) *conf. Varandeu l. c. p. 427. & Meauriceau l. c. p. m. 426.*

lus motioni frequentius adsuefiat, lævaque manu etiam pa-  
lo adultior factus, eadem confidere velit, quæ dextra ex usu  
conservo obire solet. Sic etiam in puellis præsertim collo-  
bio indutis, ut & non raro in pueris observare licet, tortuo-  
sos eosdem esse, vel alterutram coxarum altera altius pro-  
minere. Et quanquam interdum hujus alia caussa accusari pos-  
sit, frequentissime tamen eandem ex unico hoc fonte, quod  
scil. infantes in uno tantum brachio, absque vicaria horum  
commutatione, a mulierculis seu gerariis suis continuo por-  
tati fuerint, derivandam esse, cum Meauriceau asserere non  
dubito, l.c. cap. 42. p. 509. § XI.

Teneri partu primis post ejus exclusionem diebus &  
mensibus, colostrum & lac bone nota matris in sui alimen-  
tum sufficere, immo necessarium esse §. 6. indicavimus; &  
quod primis jam diebus post partum editum, pulcre huic pro-  
pinare periculosem sit, sua Meauriceau (c) confirmat obser-  
vatione. Interim tamen D. P. Juncker (d) dicto quoque tem-  
pore hos pulticula securè ali posse docet, qui & nos facile af-  
fidentes habet, cum simul præsupponere videatur: ut ma-  
ter lactans vel nutrix nihilominus sufficienti ad puerum nu-  
triendum gaudet lacte, & pulticula sit admodum tenuis, bene  
cocta & lactis ad consistentiam quam proxime accedens. Hæc  
pulticula autem non sit pulmentum ex farina, laete & saccharo  
paratum, quod Dolæus (e) glutén viscosum pro glutinans  
chartis magis aptum, quam nutrimentum appellat; sed e  
pane triticœ cum lacte & paucō saccharo parari, & monente  
Zwingero (f) in peculiari loco, ab vermium muscarumque  
accesu muniri debet. Cum vero hujus corpus majus in diem  
incrementum capiens, successu temporis plus nutrimenti ex-  
poscat, & lac nutritius in posterum huic solum sufficere neque-  
at; necessarium est, ut & alia in auxiliū vocentur alimenta, te-  
nues nimirum in principio pulticulae, quæ successive paulo  
erad-

(c) l.c. p. 462. (d) l.c. p. 109. n. 31. Tab. de affect. infantum. (e)  
Encyclopæd. medic. dogmat. lib. 6. cap. 1. §. 7. (f) l.c. pag. 18.

crassioris consistentiae parantur, donec dentire incipiat, & pauci solidiores cibos masticare ac digerere valeat. Abstineant autem parentes, a multis variisque duris & difficilioris concoctionis alimentis, ventriculum tenelli statim onerare; neque permittant, ut cibus praemasticetur a vetulis vel aliis integratum oris halitum exspirantibus, vel stomachace laborantibus; cum per harum salivam morbi praemasticantium infanti infundi possunt: neque, quod tamen non sine maximo tenelli periculo sanitatis & vita uplurimum fieri solet, totum hujus regimen & diaeta, hoc in negotio, imperitae committatur mulierculae. Nae, dolenda omnino & misera fors plurimorum infantum est, quae turpi inordinatoque nutricis vel puellae arbitrio tantum concreditur! Haec enim, quotiescumque tenellus vagire incipit, forte propter dolorem ventriculi, a cibis jam nimia quantitate ingestis, vel a torminibus, vel propter urinæ & linteorum ab hac madidorum ardorem vel alios ob cruciatus, ex templo vel mammae applicant, & lac vel etiam pultem eidem obtundunt, quoties os suum sub clamoribus aperit, &, nisi suffocari velit, eandem deglutire cogunt; malum hoc pacto pejori accumulantes, nulla habita ratione alias circumstantiarum, quae hujus ploratus & inquietudinis causa esse possint. Bene igitur monet Baltas Timaeus von Guldens Klee: (g) Caveant nutrices, ne pleniori vicetu, tenella infantum corpora oneant; fieri enim non potest, non quin in morbos tandem incident, maxime vero in convulsiones. Neque minus deploranda est horum infantum conditio, quibus a matris lactantis vel nutricis appetitu inordinatio, a ciborum scilicet acidorum, salorum, crudorum, vini & hujus spiritus abusu, innumera mala, immo, teste Illustr. D. Præside, (h) epilepsia ingenerantur. Et cum, Illustr. Stahlio teste, (i) bonum & sanum lac, in ventriculo infantis, vitiosam qualitatem induere possit, a cibis minus cum lacte convenientibus.

C. 2. tibus

(g) Oper. med. pract. lib. 5. cas. 8. p. 220. (h) Diss. prax. clin. morb. infant. §. 5. p. 6. (i) Tr. cit. p. m. 15.

tibus, vel paulo ante, vel post lactationem sumitis: probe igitur tenendum Varandæi monitum (k), ut horam saltem unam post sumptum cibum, a lactis suctione, detineant infantem. De cerevisia etiam notandum, quod, nisi optimæ sit notæ & tepida, perperam huic concedatur. Cum enim cerevisia non bene cocta & defæcata adultis gravissima cauſſari valeat tormina, collectu facile erit, mollis adeo texturæ corpusculo, multo majora ex eadem exspectanda esse damna; & potum frigidum præsertim noctu delactationis tempore huic propinatum, ſepe existere atrophiae, immo catarrhorum, & febrium inflammatoriarum cauſſam, teste celebrissimorum practicorum experientia affeuerare licet. Conf. Diff. cit. ill. D Præf. c. 9. p. 25. §. XIII.

Etatem laetentis teneram, ab animi pathematibus omnino immunem & liberam judicare, idem effet, ac omni experientiæ refragari velle. Quanquam enim infans non nisi vagitu & lachrymis significare valet, antequam balbutiēdo vel signis saltem, licet admodum obſcuris, indicare adſverſcat, ſitim, famem & alia incommoda, obſervatur tamen non raro, eundem etiam in primis ſuis incunabulis ſubito terrore percuti poſſe. Postquam vero paulo maturior factus, irascitur, quoties ipſi denegantur, quæ appetere videtur; exhorreſcit ab objectis antea non viſis & eidem adſpectu horrendis; in pavorem conſicuit a ſtrepiu, & præprimis ſi in ſomno acclamatione dura & ſonora turbetur, vel etiam, ſi motu citatiōri ac vehementiōri in altum elevetur, ut §. i. i. jam monimus. Detestandum igitur eſt, omnium illorum infeliciſſimum conamen, qui vociferationibus & acclamationibus incoſtitutis, veheſenti agitatione, viſionibus ac geſtūlationibus ineptis laetentem terrent, velut iraſcatur, anſam ſuppedant, vel tandem immoderata titillatione ad nimium riſum provocant. Quapropter Varandæus prudenter caverendum admonet, ne, quando pueri intueri incipiunt, iisdem objici-

(k) I. c. p. m. 427.

objiciantur res, quarum adspicuum horrent: quum ex illarum adspicatu facile incident in terrorem & animi pathemata. Nam, quantorum malorum affectus sint prodromus, a proiectiori ætate & corpore jam robustæ constitutionis, ad tene-riorem colligere licet. Tristis enim, proh dolor! & nimis frequens obvia experientia edocuit, infantes, ad motus con-vulsivos quam maxime pronos, ab hujusmodi animi pathematis in eosdem præcipitatos & misere tandem vexatos, immo extinctos fuisse. §. XIV.

Contra instituti rationem me non acturum existimo, si & simul quædam, parentibus in eligenda nutrice observatu-digna, opello huic subne<sup>ter</sup>em. Explicandum autem mihi non sumo, quæ de requisitis bonæ nutricis; de optima lacte nota, & quæ tandem ex vitioso lacte propullulent mala, celeberrimi jam elini & nostro hoc tempore Doctores prolixe explicarunt, multaque sua experientia confirmarunt; de quibus consuli merentur Varandæus, (l) Meauriceau, (m) Langius, (n) Stahl, (o) Joh. Dolæus (p) & alii. Neque nostram in præsenti tentamine facimus hanc practico-rum controversiam: utrum melius sit, ut puerpera, quam nutrix partum delactet? Conf. de Prée (q). Sed tantum hac addere animus est, ut parentes in eligenda nutrice summa scrutentur diligentia, an illa hereditario quodam, ut phthisi, hæmorrhagiis enormibus, melancholia, epilepsia, &c. (r) vel alio adicitio<sup>n</sup> infecta sit morbo, ut scabie, lue venerea, &c. an hysterics passionibus laboreti? ne, ex suffragio Ill. D. Præsidis, hujusmodi morbi in lactentem innocentem propagentur. (s) Notissimum est, parentum individualem animi

C 3

cor-

(l) l.c. a pag. 427. ad 433. (m) l.c. cap. 43. p. 510 seqq. (n) Diff. de requisitis bone nutricis & Diff. de recens nat. regim. §. 14. seq. (o) Diff. de requisit. bon. nutr. (p) l.c. lib. 6. cap. 1. §. 6. (q) de noxio nutricum ministerio & Sennertus in his medic lib. 4. pt. 2. c. 3. pag. 809. (r) Stahl Diff. de morib. hereditar. & habitu: Ramazzin de morbis artific. c. 19. (s) Diff. cit. de prax. clin. inf. cap. 4. n. 12. c. 3. n. 6.

corporisque constitutionem in horum hæredes ut plurimum transferri: experientia quoque comprobatum est, pro alimenterorum qualitate, corpus humanum affici & mutationem pati. Cum igitur lacte nutricis prima in pueri stamina condantur, corpusque ejus augeatur, quid mirum, si intenellis analogæ dispositiones suboriantur? Hoc assensu suo confirmant Fr. de le B. Sylvius, (t) Rejes, (u) Joh. Dolæus l.c. & Ramazzinus, qui, l.c. (x) sic loquitur: Eine geile Amme drücket dem Kind unauslöschliche Merkmale ein; und Helmont de infant. nutrit. spricht: er habe obseruiret, daß eine geile Amme ihr umbesones Wesen den Kindern einverleibet. Parentum igitur est, probe circumspicere, ne negligentia sua, filioli fatus in ipso portu statim naufragium faciat.

## §. XV.

De morbis adscititiis nullum est dubium, quin lacte, quod pro varia sanguinis dyscrasia vitiosam induit qualitatem, tenello communicari possint & soleant. Si enim, exempli loco, osculo tantum lue venerea infectæ ancillæ, ut §. 9. indicavimus, eadem, partus semestris corruptus fuit; multo facilius morbus hic horrendus in lactentem, a nutrice, eodem polluta, cum lacte transferri poterit. Ex observatione D. D. Laur. Robergii, Medicinae Professoris Upsaliensis Regii & Ord. longe celeberrimi, quam mecum benigne communicavit, Upsaliz, duo non ita pridem infantuli, detestabili hoc morbo a nutrice infecti fuerunt extincti. Non levem quoque curam, munus parentum exigit, ut in nutricis diæta atque regime prudentiae regulis consulant. Cum enim de plebe tantum nutrices conducantur, qua delicia um & otii, quibus tempore lactationis adfvescunt, antea fuerunt ignorare, evenit inde, ut a cibis euchymis & eupeptis, ut & sedentaria vita, plethora his adeo augeatur, ut paucis post partum mensibus tributum lunare solvere cogantur; quo tempore lac nauseoso infici

(t) Oper. med. append. Tract. cap. 2. §. 42. (u) Camp. Ely. q. 47. (x) l.c. cap. 19. p. 198.

infici odore, (y) tenellum languidum fieri & minus commode se habere, (z) immo in convulsiones epilepticas difficulter curabiles incidere, (a) Practici observarunt Verendum etiam, ne luxuriosæ evadant, & sub falsa persvassione, quasi tempore lactationis concipere non possent, in illicitum coitum ruant. Observatum est haud multis retro annis, quod puerulus quidam, ad mortem usque horrendis motibus convulsivis corruptus fuerit exinde, quia lac hauserat n. r. icis, quæ eodem momento furtiva venere usa & hac ratione incensa fuerat. Neq; minus periculum, tenello, ab animi affectibus iracundæ nutricis impendet. An vero mater denuo gravida facta, salva conscientia, in lactando nihilominus perseverare possit, aliis considerandum relinquo; quum D. Verheynio teste, (b) cum ipsi matri, tum lactenti & foeti denuo concepto, male hoc patet consulatur. Præterea multiplici experientia comprobatum est, quod pueruli a matre gravida delactari, vitam suam haud longe produxerint, & quoad vixerint, valetudinarii, immo epileptici exstiterint. Sic eadem magistra verendum, ne foetus in utero conceptus, ex alimenti sufficientis defecetu, pereat, abortusque acceleretur. §. XVI.

Ultimo tandem loco, occasione præsentis considerationis, de muliercularum periculoosa medicatione exempla quædam, & simul unam alteramve practicorum cautelam annettere placet. Jactant quedam mulierculæ in medicinam quandam, contra omnes cutis efflorescentias præservantem; Hanc infanti, paucis post partum diebus, Upsalia mulier exhibebat, ast brevi post, omnes ab eadem excretiones naturales suffuminabantur, partus miser inflationibus, torminibus ac alvi constipatione, noctu dieque exagitabatur & tota ejusdem corporis superficies, squamis quasi incrustata comparebat.

Post-

(y) Ramazz. l. c. cap. 19. p. 174. (z) Joh. Fr. Lövvs. ab Erlfeld. lib. X. de morb. infant. c. 1. p. 690. Et Pelargus Obs. Clin. pt. 3. p. 666, (a) Ill. D. Preses cit. Diff. c. 3. n. 5. p. 15. (b) Anat. corp. hum. lib. 2 tr. 1. cap. 9. pag. 47.

Postquam vero Medicus in consilium vocatus, naturales excretiones restituuerat, motibus erroneis sedatis, partus vagire destitit, squamaeque deciderunt. Obstetricibus quibusdam in usu esse, tenelli frenulum linguae nimis constrictum unguibus suis relaxare & rescindere; atque hac ratione inflammationem, convulsiones, imo mortem facile accelerare, Cel. Heisterus docet. (c) Interim tamen Junckerius, (d) Vaterus, (e) aliqui non dubitant, frenuli resectioinem vel unguibus vell. coeleola, ut rem indifferentem, svadere. Ad cruentam lacteam & intertriginem exsiccandas, quibusdam in usu est farina a tineis in lignis erosa. Verendum autem est, ne ovula horum insectorum simul in partem affectam inspergantur. Tuttius igitur ab hac abstinetur & loco hujus farinæ, pulvis seminis Lycopodii cum paucō tutia applicatur; cum & pulveris Cerusse usus, in hoc casu, haud omnibus practicis proberetur. (f) Abstineant tamen, necesse est, parentes, ab intempestiva ejusmodi efflorescentiarum retrospulsione; cum hac ratione rhonchum, (g) miictum cruentum, (h) paraly sia papillarum, (i) epilepsiam, immo coecitatem (k) exinde provenisse, practici observaverint. Neque teste Langio, minora mala provocare valet decocti herbæ Nicotianæ applicatio ad tineas extirpandas. Facilius tolerari poterit quarundam muliercularum consuetudo, qua gingivas recens nati meconio ejusdem illinunt, firmates sibi perfruentes, hoc remedio tenellum ab omnibus difficultioris dentitionis cruciatibus preservari. Quicquid autem sit, optandum, ut omnibus horum animis, quibus tenelli concredita est fallos, firmissime infixa essent verba, que Eph. A. N. C. Vol I. An 1727. Observ. 53 p. m. 100 leguntur: *Utinam ipsis, qui saltem suam in alienam messem non justè immittunt, tandem denique persuaderi possint, de vita hominis agi in arte Medicea, ne illotis, quod dicitur, manibus eam aggrediantur, & notam aliquando indelebilem conscientie inuariant!*

---

(c) Chirurgia cap. 85. p. m. 572. (d) Manuale prax. medic. modernæ pt. 2. de regim. rec. nat. pag. 99. (e) Colleg. MSto. cit. (f) plurav. l. Langii Diff. cit. cap. 2. §. 26. & 27. (g) Diff. B. Slevogtii: de Rhoncho infantis, ex ulcerum paroticorum intempestriva curatione. (h) Eph. A. N. C. Cent. V. Obs. 60. Hagendorf hisp. med. Cent. i. hisp. 8 p. 16. (i) Miscellan. N. C. Dec. I. Obs. 67. p. 118. (k) l. c. cap. 2. §. 26.

Ül 923

ULB Halle  
004 179 358




3

SB

nur 4 Sammlungsteile

Retr. ✓

Walter Becker  
Buchbinderei  
Halle/Saale  
Thüringer Straße 24



AVGVRALIS MEDICA,  
DE  
**PARTVS  
ENIXI ET  
TENTIS  
IVAM  
DEO MAXIMO  
ATIS MEDICÆ CONSENSV  
ESIDE  
CO HOFFMANNO  
CI SENIORE & h. t.  
CANO  
ORIS GRADV  
mpetrando  
yj. Anno MDCCXXXI.**

Q. C.  
ORVM EXAMINI SISTET  
**JUEL KOULAS.**

LVSATVS.  
S PIPERIANVS  
IGDEBVRGICAE,  
HILLIGERI, Acad. Typogr.

Inches

1      2      3      4      5      6      7      8  
Centimetres  
1      2      3      4      5      6      7      8  
9      10     11     12     13     14     15     16     17     18     19  
10     11     12     13     14     15     16     17     18     19  
11     12     13     14     15     16     17     18     19  
12     13     14     15     16     17     18     19  
13     14     15     16     17     18     19  
14     15     16     17     18     19  
15     16     17     18     19  
16     17     18     19  
17     18     19  
18     19  
19

**Farbkarte #13**

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

**B.I.G.**

Black

